

DISPUTATIO XVII.

DE IRREGULARITATE PROVENIENTE EX
INDEBITO USU SIVE ACTIVO, SIVE
PASSIVO SACRAMENTORUM.

ARTICULUS I.

*Utrum ex iteratione baptismi incur-
ratur irregularitas?*

I. De ista re agunt summistæ, verbo irregularitas, et verbo baptismus; et specialiter Sylvester verbo baptismus §. III, et verbo irregularitas §. V; et Navarrus in manuali, cap. XXVII, num. CCXLVI; et theologi super tertiam partem D. Thomæ, quæst. LXVI, art. IX; et Suarez tom. V, disp. XLII.

II. Dico igitur primo: Rebaptizatores scienter, et ipsi rebaptizati scienter, irregularitatis pœnam incurrunt. Ista conclusio est communis sententia theologorum et jurisperitorum. Et probatur communiter ex capite Eos quos de consecratione, dist. IV, et ex capite secundo De apostatis. Et quamvis primum caput videatur loqui tantum de episcopis, et presbyteris, et diaconis rebaptizatoribus, et secundum caput videatur solum loqui de acolythis ministrantibus rebaptizanti, non autem de subdiacono, et de aliis, nihilominus tamen communis sensus omnium jurisperitorum, et theologorum circa illa capita est comprehendere universos rebaptizantes, et iste communis sensus est anima juris, unde in ipso continetur hæc irregularitas. Et sic manet probata prima pars nostræ conclusionis. Pro secunda vero parte, ubi loquimur de rebaptizatis scienter est textus

irrefragabilis in capite Confirmandum, distinctione L.

III. Dico secundo: Ignorantia culpabilis sive juris, sive facti neminem excusat a pœna lata contra rebaptizantes, et rebaptizatores. Probatur, quia ex communi doctorum sententia illa pœna imponitur in jure propter delictum iterationis baptismi, et ignorantia quæ non excusat a delicto, non excusat a pœna.

IV. Dico tertio: ignorantia inculpabilis excusat omnino in pœna irregularitatis sive rebaptizantes, sive rebaptizatos. Ista conclusio est contra plures auctores, quos referunt theologi illa quæstione LXVI, art. IX. Sed advertendum est, quod in sacerdotibus, qui sunt ministri baptismi ex officio, nunquam inveniri potest ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti, quia tenentur jura baptismi scire, et de facto solerter inquirere. Rustici tamen poterunt aliquando invincibiliter ignorare, an licite possit baptismus iterari. Probatur igitur conclusio, nam hæc irregularitas ponitur propter delictum; ergo ignorantia, quæ excusat a delicto excusabit etiam a pœna. Secundo, probatur ex capite Placuit, ex capite Qui apud primum, quæstione prima, ubi definitur, quod infantes baptizati ab hæreticis promoveantur ad ministeria altaris; ergo idem erit de ignorantibus invincibiliter, quia in hac parte non differunt a pueris. Tertio probatur, quia ad incurrendam irregularitatem propter significationem, quæ incurritur propter aliquem actum, est necessarium, ut actus ille sit voluntarius, et humanus directe, vel indirecte; sed in casu posito ignorantia inculpabilis aufert omnino voluntarium, ut dicitur 1-2, quæst. VI: ergo. Confirmatur, quia sic iterantes baptismum dant operam rei licitæ; ergo non in-

currunt irregularitatem. Probatur consequentia, quia ideo alii incurrunt illam, quia dant operam rei illicitæ.

V. Dubitabis tamen, an rebaptizantes sub conditione extra casum dubii incurrant pœnam irregularitatis. Et dixi extra causam dubii, quia quando baptismus collatus fuit dubius, licite potest sub conditione iterari. Ad hoc dubium magister Soto respondet affirmative. Sed tamen oppositum est probabilius, nempe rebaptizantes, sive rebaptizatos sub conditione, etiam quando nullum est dubium de præterito baptismo, non fieri irregulares. Ita tenent cum aliis magister Nugno in illa quæstione LXVI, art. IX. Et probatur, quia (ut sæpe ostendimus) irregularitas non debet admitti nisi sit expressa in jure; sed non ponitur expresse in jure irregularitas contra rebaptizatos, sive rebaptizantes sub conditione, sed solum ponitur propter actum perfectum rebaptizationis, qui est absolutus: ergo. Confirmatur, nam odia sunt restringenda; ergo pœna irregularitatis cum sit odiosa, solum debet comprehendere rebaptizatos, et rebaptizantes absolute, et non sub conditione, quia isti solum rebaptizant secundum quid.

VI. Ex dictis sequitur, quod propter solam iterationem baptismi perfectam, et completam incurritur irregularitas. Itaque si aliquis rebaptizet exterius sine animo rebaptizandi, non fit irregularis, quamvis fiat irregularis rebaptizatus, si habuit animum iterum suscipiendi baptismum, et de facto suscepit. Si tamen de facto suscepit exterius sine animo interius suscipiendi, non fit irregularis rebaptizatus. Secundo sequitur, non fieri irregularem, qui prima vice suscepit baptismum, quantumvis fide suscepit. Et probatur, qua fictio, vel potest esse con-

tra ipsum baptismum, vel contra effectum ejus tantum, qui est gratia. Et quidem si fictio sit contra ipsum baptismum, ita ut suscipiens illum exterius nolit interius baptizari, non manet baptizatus, ac subinde nec irregularis, quia irregularitas ista solum potest comprehendere eos, qui sunt intra Ecclesiam per baptismum. De alia autem fictione manifestum est non inducere irregularitatem.

VII. Dico tertio: Adultus, qui differt baptismum usque ad mortis periculum, et tunc necessitate compulsus recipit illum, manet irregularis, et inhabilis ad sacros ordines suscipiendos. Ita tenet D. Antoninus tertia parte, titulo XVIII, capite VI, §. II; Angelus verbo irregularitas, numero LV; Sylvester verbo irregularitas, quæst. XXI; et alii quos refert et sequitur Suarez tom. V, disp. XLII, sect. I, num. V. Et probatur, quia iste casus irregularitatis continetur plane expressus in jure de consecratione, dist. LVII, cap. I, ex Concilio Neocesariensi, cap. XII. Unde ut refert Eusebius libro sexto-historiarum, cap. XXXII, Novatus fuit sic baptizatus, et quidem episcopus desiderabat maxime Novatum ordinare, et id minime licebat, quia jure prohibitum erat. Et ratio hujus decreti est, quia fides illius, qui sic baptizabatur, non videbatur esse voluntaria, sed ex necessitate. Is autem de cujus vera fide dubitatur, non licebat ad sacros ordines promoveri, cum sic ordinatus debeat esse firmus in fide, ut instruat alios in illa. Qui autem ex necessitate ægritudinis suscipit fidem in baptismo in periculo mortis, non videtur permansurus in fide firmus, sed potius dubius. Aliam rationem assignant alii, videlicet, quod quamvis sine culpa sua quis differat baptismum usque ad mortis periculum, quia tamen sæpe ille non est sufficienter

instructus in fide, censetur neophytus, et consequenter non satis idoneus ad docendam fidem, sed prima ratio est melior. Et dixi in conclusione illa intelligi de adultis, quia de parvulis neutra ratio currit.

VIII. Advertendum tamen, quod in duobus casibus ille, qui differt baptismum poterit ad sacros ordines promoveri. Primus casus est, si purgaverit suspicionem, postquam incolumis fuerit protestatus fidem, docensque illam firmiter nata occasione: secundus casus, si urgeat necessitas ministrorum Ecclesiae. Ita decernitur in illo textu, et tenent omnes doctores; dubitabis tamen, an in his casibus requiratur dispensatio irregularitatis. Aliqui tenent partem negativam: alii per aliud extremum dicunt esse necessariam dispensationem summi pontificis. Sed tamen veritas est sufficere dispensationem episcopi: ita tenet communis sententia, et ad istam dispensationem non requiritur, ut simul concurrant illæ duæ causæ, nempe purgatio suspicionis, et necessitas ministrorum; sed sufficit si concurrat prima causa. Et in secundo casu tanta poterit esse necessitas ministrorum, ut quamvis non purgaverit suspicionem conveniens sit illum ordinari.

IX. Dubitabis insuper, an ista irregularitas extendatur ad omnes illos, qui necessitate compulsi baptismum susceperunt, etiam nulla instante ægritudine periculosa, sed quia per vim et metum, qui non excludat voluntatem baptismi, receperunt illum. Ad hoc dubium respondeo affirmative; tum, quia ubi est eadem ratio, est eadem juris dispositio; tum, quia iste casus non procedit solum a simili cum alio casu de ægritudine periculosa, sed prorsus est idem casus, quia illa lex inducens irregularita-

tem non fundatur in ægritudine, sed in periculo inconstantiae fidei. De qua inconstantia suspectus est omnis, qui necessitate compulsus baptismum suscipit, sive per metum, sive propter instantem periculosam ægritudinem. Imo experientia compertum est hanc fidei inconstantiam in istis perdurare usque ad plures generationes; unde sæpe cautum est, ut illi non promoveantur ad sacros ordines, nec committatur illis fidei instructio, et multo minus defensio.

X. Dubitabis tandem, an hæc irregularitas possit extendi, ita ut etiam comprehendat illos, qui ob solam moram culpabilem dilatant nimis susceptionem baptismi, sunt tamen firmi in fide ante susceptionem illius, et solum procrastinantur, ut interim liberius peccent in aliis vitiis, quæ non sunt contra fidem. Aliqui tenent partem affirmativam, inter quos est Major, ut refert Suarez. Sed tamen veritas est istos non incurrere irregularitatem, quia nullo modo sunt suspecti de fide. Quinimo etiam si expectent articulum mortis ad suscipiendum baptismum, dum tamen manifeste constet illos semper fuisse in fide firmos, sunt immunes ab ista irregularitate. Et ratio est, nam quamvis textus ille comprehendere videatur universos, qui sic differunt baptismum, nihilominus in tantum procedit decisio textus, in quantum se extendit efficacia rationis decidendi; quæ quidem ratio solum procedit de suspectis in fide propter dilationem baptismi, et cum alias lex ista irregularitatis sit pœnosa venit restringenda.

XI. Dico quarto: Si quis in loco ubi peregrinatur, et incognitus est baptizatus fuerit, fit irregularis, et inhabilis ad sacros ordines suscipiendos. Ita decretum fuit in Concilio Elibertino canone xxiv, et ha-

betur apud Gratianum, capite Omnes, dist. xcviij, ubi sic dicitur: « Omnes qui peregre, seu in peregrinatione fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clericum non esse promovendos in aliis provinciis. » Ex quibus verbis constat, non incurri istam irregularitatem ratione baptismi suscepti formaliter loquendo, sed ob ignorantiam vitæ et morum, quibus se gessit ille ante baptismum. Potuerunt namque mores esse tam pravi, ut merito post baptismum denegentur illi sacri ordines; ut potest ignorari, an ille sit rebaptizatus postquam in illa peregrinatione fuit primo baptizatus.

XII. Et si dicas, dubium hoc esse mere negativum, ac subinde sufficiens ad reddendum inhabilem istum hominem, quia propter dubium negativum de idoneitate alicujus non est condemnandus, respondetur tamen primo, quod quamvis ad habendam opinionem de bona fama alicujus nihil obstet dubium mere negativum, nihilominus sufficit illud, ut non promoveatur ad sacros ordines, quamdiu non constiterit de integritate vitæ ejus, ac de vero baptismo, et aliis necessariis. Et ratio discriminis est, quia ad habendam bonam opinionem de fama alicujus, non requiritur fieri prius informationem de moribus, et vita ipsius, quæ tamen informatio requiritur ad sacros ordines. Et ex hoc, secundo respondetur dubium illud non esse mere negativum, sed aliquo modo positivum, quia ille modus recipiendi baptismum præbet suspicionem de veritate ejus. Legatur Concilium Tridentinum sess. xxiii, cap. viii de reformatione.

XIII. Ex dictis sequitur hanc irregularitatem potius reduci ad illam, quæ oritur ex infamia, seu dubia fama; unde sublata infamia, seu du-

bia fama non manet ille irregularis; nec indiget aliqua dispensatione, et ideo merito in illo textu adduntur illa verba: In aliis provinciis, ut detur intelligi hanc dubiam famam moraliter loquendo solum habere locum, dum aliquis baptizatus fuit in remotissimo loco, ubi incognitus erat; alias autem de facili potest tolli ista dubitatio.

XIV. Dico quinto: Quamdiu dubitatur de baptismo alicujus stante illo dubio manet irregularis, et inhabilis ad sacros ordines suscipiendos. Ita habetur capite Placuit de infantibus, de consecratione, dist. iv. Et quamvis nullo jure esset lata ista irregularitas, nihilominus ex natura rei esset ista prohibitio, ne ille susciperet sacros ordines, quia naturalis ratio dictat non esse suscipiendos ab eo de cujus baptismo merito dubitatur. Unde hæc irregularitas est canonicum impedimentum, imo incapacitas naturalis, vel reducitur ad illam, quam modo dicebamus de dubia fama, quia qui dubius est an alter adultus vere suscepit baptismum, subinde dubius est de ejus fama. Advertendum tamen est, ad hoc non sufficere leve dubium, sed requiritur grave, quale etiam requiritur ad rebaptizandum aliquem sub conditione, quando de ejus primo baptismo est rationabile dubium, et grave.

XV. Dico ultimo: Baptizati ab hæreticis manent irregulares, et inhabiles ad sacros ordines suscipiendos. Ita definit Innocentius i, ut habetur capite Ventum est i, quæst. i, cujus rei triplex ratio solet assignari. Prima odium quod merito habet Ecclesia catholica contra ministros hæreticos. Sed tamen ista ratio efficax non est, quia ex illa sequeretur infantes ab hæreticis baptizatos esse irregulares, quod tamen est falsum, ut constat ex pluribus capitibus juris, ut refert Suarez, ubi

supra : secunda ratio est dubietas baptismi. Sed hæc etiam est inefficax propter rationem modo factam de infantibus, et præsertim quia hæretici fere omnes recipiunt baptismum, unde rite administrant illum. Unde tertia vera ratio est hanc irregularitatem esse impositam propter crimen baptizati adulti, qui poterat a catholico recipere baptismum. Unde nostra conclusio solum procedit de adultis.

ARTICULUS II.

Utrum per indebitam susceptionem aliorum sacramentorum incuratur irregularitas?

I. Navarrus in manuali, capite xxvii, num. ccxlvii et alii juristæ tenuerunt incurri irregularitatem per iterationem sacramenti confirmationis quorum ratio erat, quia ubi est eadem ratio est eadem juris dispositio, sed currit eadem ratio de iteratione confirmationis ac de iteratione baptismi, cum utrumque sacramentum imprimat characterem, nec iterari possit; ergo.

II. Nihilominus vera sententia est opposita quam modo communiter tenetur universi theologi, et juristæ, inter quos est magister Nugno iii, quæst. lxxii, art. v part. conclusione iii, et Suarez tom. v, disp. xlii, sect. ii. Et probatur efficaciter, quia in jure nulla extat talis irregularitas, nec argumentum a simili est efficax in materia de irregularitate, ut sæpe diximus. Illa autem regula, scilicet, ubi est eadem ratio est eadem juris dispositio, est intelligenda quando jus constituit universaliter decretum de rebus ejusdem ordinis: in præsentem autem dum fit sermo de irregularitate contracta per iterationem baptismi, solum constituit

decretum de isto sacramento in singulari, sicut de sacramento ordinis (ut statim dicemus) unde non comprehenditur sacramentum confirmationis.

III. De eucharistiæ autem sacramento oportet distinguere, nam in illo sæpe conjunguntur simul duo, videlicet et ministerium ordinis administrando illud, et receptio ipsius sacramenti. Regula igitur generalis est, per nullam indebitam susceptionem hujus sacramenti incurri irregularitatem, quia in jure non extat talis irregularitas. Ratione autem ministerii ordinis, quod exercetur in isto sacramento a celebrantibus illud incurritur sæpe irregularitas quæ tamen pertinet ad sacramentum ordinis. De quo statim dicemus.

IV. De pœnitentiæ autem sacramento manifestum est etiam per nullam indebitam susceptionem ipsius incurri irregularitatem. Solum igitur advertendum est cum Bellarmino tom iii, libro primo de pœnitentia, cap. xxi et xxii triplicem esse pœnitentiam, videlicet privatam quæ est sacramentum, et publicam, et solemnem quæ non sunt sacramenta, et per solam pœnitentiam solemnem incurri irregularitatem, quæ irregularitas potius reducitur ad eam quæ oritur ex infamia. Cum autem talis pœnitentia solemnis jam non sit in usu in Ecclesia, ideo ablatum est fundamentum talis irregularitatis.

V. De sacramento autem extremæ unctionis magis certum est nullam incurri irregularitatem per indebitam susceptionem ipsius, imo regula generalis est, per nullam susceptionem alicujus sacramenti quantumcumque peccaminosam incurri irregularitatem, si talis susceptio consideretur quatenus præcise est susceptio sacramenti, ut ostendit inter alios Suarez in illa sectione secunda,

in qua non fit sermo de baptismo, nec nos comprehendimus illum in ista regula, quia jam de eo egimus articulo præcedenti.

VI. Tota ergo difficultas est de sacramento ordinis, et de sacramento matrimonii, de quibus multa supersunt dicenda quæ tamen placet relinquere pertractanda in suis propriis locis, cum de his sacramentis agatur. Et interim legatur Suarez in illa disputatione xlii, sect. iii, ubi late examinat sexdecim casus, in quibus incurritur irregularitas per indebitam ordinum susceptionem. Et sectione quarta late disputat de irregularitate, quæ contrahitur per indignam ordinis usurpationem, et sectione quinta late etiam examinat alios octo casus, in quibus incurritur irregularitas per indignam ordinis administrationem. De sacramento autem matrimonii iterato, vel semel facto cum vidua, sive corrupta, constat incurri irregularitatem bigamiæ, de qua in superioribus egimus, et late tractat Suarez disputatione xlix per totam, unde in præsentem nihil restat supraddendum.

VII. Quæstiones aliæ de ista irregularitatis materia poterant in præsentem disputari, nempe de irregularitate proveniente ex infamia, de qua tamen satis diximus, et legatur Suarez disputatione xlvi. Et similiter de irregularitate proveniente ex defectu natalium, de qua Suarez disputatione ; et de irregularitate proveniente ex defectu personali inculpabili, de qua Suarez disputatione ii; et de irregularitate proveniente ex defectu personali culpabili, videlicet ex hæresi, et simonia, et aliis hujusmodi, de quibus Suarez disputatione xlii; et frater Manuel Rodriguez tomo primo quæstionum regularium et alii auctores. Nos igitur ab his disputandis abstinemus, et suis propriis

locis relinquimus, nec in hoc loco sunt adeo necessaria, cum sint raro contingentia, et minis prolixæ eorum disputatio.

DISPUTATIO XVIII.

DE POTESTATE DISPENSANDI SUPER IRREGULARITATE.

ARTICULUS I.

Utrum episcopi habeant potestatem dispensandi in irregularitate homicidii voluntarii liciti?

I. In hac difficultate sunt tres sententiæ. Prima asserit, quod episcopi ex jure antiquo communi poterant dispensare in hac irregularitate homicidii voluntarii liciti, idque modo possunt, si quidem quantum ad hoc non est revocatum jus antiquum per aliud novum jus. Auctores hujus sententiæ suppresso nomine refert Suarez disputatione xlvii, sectione vi, circa finem.

II. Secunda sententia asserit, quod in hac irregularitate possunt omnino dispensare episcopi non ex jure antiquo communi, sed ex jure communi novo, videlicet ex facultate concessa illis in Concilio Tridentino sess. xxiv, in decreto de reformatione, capite vi, ubi conceditur facultas episcopis, ut possint dispensare in in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidii voluntarii. Ex quibus verbis desumitur argumentum: Nam irregularitas homicidii liciti non comprehenditur sub exceptione illa, scilicet sub irregularitate